

temere conuictiū in caput meū vibrasse, audi Lector quid ante verba quæ ipsi mutilarunt, quid etiā postea scripserim. De diuitibus impijs annotatio est, de que pijs qui cū Christo regnaturi sunt. Vt oues cōgregantur in ouile, ita illi diuites colligentur in sepulchrū, vbi mors præerit illis. Illi diuites cōtra spem suam tādē magno numero moriētur, & mors eorū æterna erit, nō tēporaria. Audis mortē illorum æternam futuram me scribere. Quæ certe vox nō hominis est mortalē esse animā fingentis. Mox scripsi, Aget pastorem erga illos: reget eos. hoc est, illi omnes peribūt, & morientur morte æterna. Paulo post sequitur vnde tam impiā censurā decerpunt, & quidem qua solēt fide, Animæ eorū cum corporibus interibunt. Cōtinuo scripsi, Hic versus est verum ænigma filijs huius seculi: cōtinet enim quæ pertinet ad auroram nouæ vitæ: qua exorta, iusti dominaturi sunt impijs. i. cū suo Christo illos condēnabunt. Si anima cum corpore interitura est, nec victura in resurrectione, quomodo dominabuntur eis iusti? quomodo eos cū Christo iudicabunt iusti? Exhorresco ad eiusmodi portenta. Et certe nūquam adeo ferrei iæ